

CONSILIO AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



13

IANUARIO 1966

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

13

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

« Notitiae » prodibunt die 15 cuiusque
mensis. Libenter, iudicio Directionis,
nuntium dabitur Auctorum, inceptuum,
editionum in re liturgica, praesertim
e Coetibus Episcoporum vel Commis-
sionibus liturgicis nationalibus emanan-
tium, si scriptorum vel periodicorum
exemplar missum fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in
Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad
quam transmittenda sunt epistolae, char-
tulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, Città del Vaticano

Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)
Singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 (\$ 0,35)
Volumen I (1965): lit. 4.000 (\$ 7)
Singuli fasciculi anni I:
lit. 400 (\$ 0,70)

*

In Italia pecunia mittenda est per
C.c.p. N. 1/16722

SUMMARIUM

Acta Consilii

Sexta Sessio plenaria « Consilii »	3
In nostra familia	5
Ordo lectionum per ferias .	6
Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur	8

Sacra Congregatio Rituum

De ordinanda Missa quae celebratur vespere sabbati aut pridie festorum ad satisfacientium preecepto	14
--	----

Celebrationes ad absolvendum

Concilium

Sacra celebratio ad unitatem Christianorum fovendam	15
Ordo ad absolvendum Concilium Vaticanum II	19

Documentorum explanatio 29

CONSILIIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

VOL. II - 1966

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

Acta Consilii

SEXTA SESSIO PLENARIA « CONSILII »

In Aula Congregationum Palatii Apostolici Vaticani et in Aula Palatii « S. Marta », diebus 19-26 octobris, 22-26 novembris, et 1 decembris locum habuit VI Sessio plenaria « Consilii ».

Adfuerunt fere omnes Sodales, E.mi Cardinales et Episcopi; insuper et Consultores, peculiarem scientiam et usum habentes in materia, de qua agebatur.

E.mus Praeses, sessionem aperiens et adstantes alloquens, memoravit recentem nominationem quinque novorum Sodalium, nempe Card. Conway, Exc. Hurley, Dwyer, Clavel Mendez, Enrique y Tarancón, et duorum recentissimorum, scilicet Exc. Pellegrino et I. Bluyssen.

Inter laeta « Consilii » pariter commemoravit: promotionem Exc. Jenny in Coadiutorem Cameracensem et ad sedem Archiep. tit. Salitanam et Exc.mi Saraiva in Episcopum Funchalensem.

Omina pariter expressit iis Consultoribus qui novis munieribus addicti sunt.

Dein « Consilii » Secretarius relationem de rebus habitis et habendis egit. De quibus haec summatim recolenda sunt:

a) *Quaestiones variae Ordinem Missae* respicientes, de quibus actum erat in Sessione mensis aprilis, post diligens examen ad instaurationem generalem remissae sunt.

b) *Lectiones in Missa per ferias*. Quaesitum fuerat a Coetibus Episcoporum, qui facultatem petierunt habendi ordinem lectionum in Missa per ferias, ut talem ordinem pararent et ad « Consilium » transmitterent pro approbatione.

Coetus Episcoporum linguae germanicae hunc ordinem perfecit tribus lectionum seriebus constantem, idest:

- 1) serie una Evangeliorum;
- 2) serie lectionum ex aliis libris N. T.;
- 3) serie lectionum e libris V. T.

Propositorum huius Ordinis est seriem lectionum pro diebus feriabilibus providere per spatium duorum annorum. Quod obtinetur legendo primo anno seriem Evangeliorum cum lectionibus ex aliis libris N. T. derivatis, et altero anno eandem seriem Evangeliorum cum lectionibus e libris V. T. desumptis.

c) *Partes quae in sacris Ordinibus lingua vulgari dici possunt.* Determinatae sunt, prout legitur in *Notitiae* n. 9-10, pp. 277-279.

d) *Lingua vernacula pro Officio divino quoad religiosos. Instructio* de hac re confecta est a « Consilio » communi cooperatione cum S. C. de Religiosis et cum S. C. Rituum, et proxime publici iuris fiet.

e) *Hora Prima.* Summus Pontifex benigne concessit ut iam nunc etiam Religiosi Horam Primam omittere possint. Ut tamen necessarius ordo servetur, applicatio commissa est Supremis Moderatoribus cuiusque Ordinis seu Congregationis, obtenta confirmatione a « Consilio ».

f) *Libellus Missarum* pro quarta periodo Concilii iam abunde omnibus, ex experientia, notus erat: nihil proinde dicendum manebat. Cfr. ceterum in *Notitiae*, n. 11, pp. 330-333.

g) *Oratio fidelium*, nempe libellus paratus a Coetu 12 et anno praeterito evulgatus nunc completerur schematis pro toto anno liturgico, et quamprimum publici iuris fiet ut norma directiva pro Coetibus Episcoporum ad paranda schemata propria.

h) « *Documenti e sussidi* ». Est collectio, in qua edentur ea quae locum in periodico *Notitiae* habere non possunt. Primum volumen, sub prelo, inscribitur « Dialogo con Dio » et continet sermones vel excerpta e sermonibus Summi Pontificis Pauli VI ad illustrandum spiritum Constitutionis et instauracionis liturgicae. Alterum volumen continebit Acta Conventus de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum; tertium normas et schemata pro Oratione fidelium.

ORDO AGENDORUM

Coetus X. De Ordine Missae (*Mons. I. Wagner*).

Coetus XXII. De Baptismo adulorum (*Prof. B. Fischer*).

Coetus XXIII. De exsequiis (*P. P. Gy, OP*).

Coetus II. Relatio de statu laboris ad Psalterium recognoscendum (*P. P. Duncker, OP*).

Coetus XX. De consecratione Episcopi; De consecratione sacerdotum et diaconorum (*P. B. Botte, OSB*).

Coetus XXVI. De Caeremoniali Episcoporum (*Can. A. G. Martimort*)

Coetus IX. De quibusdam difficultatibus praevie enodandis circa Officii divini instauracionem (*Can. A. G. Martimort*).

Instructio de Musica sacra (*P. C. Braga, CM*).

De his relationibus per singula sermo erit, pro opportunitate, in proximis periodici fasciculis, ubi componentur ea quae in anteactis Sessionibus de eadem re forte discussa et statuta sunt, ut lectores rationem habeant magis completam de statu laborum.

Sessio « Consilii » finem habuit die 1 decembris, meridie.

Hac eadem die pervenerunt E.mo Praesidi pro « Consilii » Sodali bus et Peritis exemplaria per pulchri fasciculi, in folio, quod inscribitur: *P. Giulio Bevilacqua Cardinale*, quae Secretaria particularis Summi Pontificis in donum, et sextae Sessionis paeclarum et gratissimum mnemon synon, singulis tradere voluit.

IN NOSTRA FAMILIA

Beatissimus Pater Paulus VI, novam Commissionem ad versionem Vulgatam Sacrae Scripturae revisendam instituens, plures « Consilii » sodales in eam adscripsit, nempe: Em.mum Card. Augustinum BEA, uti Praesidem, et inter Membra: RR. PP. Beniaminum WAMBACQ, O. Paem., Ioannem GRIBOMONT, OSB, Petrum DUNCKER, OP, Rodericum MCKENZIE, SJ, Carolum BRAGA, CM, et Rev. D. Georgium CASTEL LINO, SDB (*L'Osservatore Romano*, 1 dicembre 1965).

ORDO LECTIONUM PER FERIAS

Prima phasis renovationis liturgicae per documenta post promulgatam Constitutionem edita, debitum honorem tribuere intendit Sacrae Scripturae, eiusque momentum extollere, quasi primum gressum « ut promoveatur ille suavis et vivus Sacrae Scripturae affectus » a quo pendet « sacrae liturgiae instauratio, progressio et aptatio » (*Const.*, art. 24).

Nova structura liturgiae verbi in Missa, et usus linguae vernaculae, iam novum amorem maioremque aestimationem erga Sacram Scripturam in fideles inducunt.

Ad finem autem a Constitutione de sacra liturgia intentum plene assequendum, competens Coetus a studiis « Consilii », impense operam dat ut « ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus ita ut, intra praestitum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctorum populo legatur » (*Const.*, art. 51; cfr. etiam: *De lectionibus in Missa*, in *Notitiae*, I [1965] 333).

Interea, introductio linguae popularis in liturgiam, desiderium in pastoribus et fidelibus auxit ut habeatur iam nunc « in celebrationibus sacris, abundantior, varior et aptior lectio Sacrae Scripturae ». Taedet, enim, saepius per hebdomadam vel Missam dominicae praecedentis, vel in Missis sanctorum plures eadem Communia cum iisdem pericopis reiterare.

Proinde quidam Coetus Episcoporum petierunt ut *ad experimentum* adhiberi possit Ordo pericoparum per ferias dispositus, in Missis tertiae et quartae classis, et, quandoque, ut permittatur peculiaris cyclus lectionum pro Missis ferialibus puerorum et puellarum aptatus.

Cum insuper ad definitivum ordinem lectionum statuendum vera experientia deficiat, neque aliquando criteria certa ex traditione desumi possint, ad opus « Consilii » facilius securiusque reddendum et ad supradictam difficultatem aliquomodo solvendam, Beatissimus Pater recenter concessit ut Em.mus « Consilii » Praeses, Conferentiis Episcopilibus potentibus usum alicuius Ordinis lectionum per ferias permittere valeat. Quaevis Conferentia suam ordinationem lectionum praebere potest, quae a « Consilio » examinabitur et, si opus fert, probabitur.

Secus quidam Coetus Episcoporum assumere potest Ordinem ab alia Conferentia paratum.

Conditiones, quibus « Consilium » facultatem concedit adhibendi ordinem lectionum per ferias sunt:

1. Ordo pericoparum adhibendus ille est, qui decreto adnectitur.
2. Lectiones propositae assumuntur in Missis III et IV classis, quae proprias non habent, ita tamen ut primo anno series lectionum ex Evangelio cum lectionibus ex aliis libris N. T. componatur; altero vero anno eadem lectiones ex Evangelio cum lectionibus e libris V. T. coniungantur.
3. Lectiones pro Missis defunctorum etiam in Missis I et II classis, excepta Commemoratione omnium defunctorum, adhiberi possunt.
4. Applicatio huius concessionis remittitur facultativa singulis Episcopis, qui experimenti limites et normas practicas pro sua dicione statuent.
5. Relationes de experimento eiusque fructibus fient a singulis animarum pastoribus ad Episcopos, qui eas ad Commissionem liturgicam penes Coetum Episcoporum mittent.
6. Relatio generalis ab eadem Commissione praebebitur Coetui Episcoporum, ac dein huic « Consilio » transmittetur.
7. Experimentum eo usque protrahi valet, donec aliter sit pro visum.

Huiusmodi facultas sequentibus Coetibus Episcoporum data est:
Austria, die 25 nov. 1965 (Prot. n. 4057/65).
Cecoslovachia, die 16 dec. 1965 (Prot. n. 4203/65).
Germania, die 15 oct. 1965 (Prot. n. 3793/65).
Helvetia, die 25 nov. 1965 (Prot. n. 4057/65).
Hibernia, die 4 dec. 1965 (Prot. n. 4069/65).
Mediolanensis (Italia), die 14 oct. 1965 (Prot. n. 3780/65).
Ruanda-Burundia, die 15 dec. 1965 (Prot. n. 4161/65).
Brasilia, die 4 dec. 1965 (Prot. n. 4135/65).
Bolivia, die 4 dec. 1965 (Prot. n. 4016/65).
Samoa et Tokelau Insulae, die 4 dec. 1965 (Prot. n. 4109/65).
Tonga et Niue Insulae, die 4 dec. 1965 (Prot. n. 4015/65).

**SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR**

(a die 1 nov. ad 15 dec. 1965)

EUROPA

Anglia-Cambria

I. Documenta: 10 dec. 1965 (Prot. n. 4155/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Textus rituum Hebdomadae sanctae a Coetu Episcoporum propositus.

Belgium

I. Documenta: 10 dec. 1965 (Prot. n. 4163/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Versio gallica lectionum Missarum pro defunctis, pro illa parte quae in *Lectionnaire français* non invenitur.

Cecoslovachia

I. Documenta: 26 nov. 1965 (Prot. n. 4000/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** pro partibus proprii et lectionibus, libri *Citanie a Evangelia, Maly Misal* (1935).

Gallia

V. Decreta particularia:

21. **Baionensis** (11 dec. 1965, Prot. n. 4162/65): probantur libri missales *Eborzketak* et *Abendotik Garizumara* (Bayonne 1965), lingua vasconica exarati.
22. **Claromontanae** (25 nov. 1965, Prot. n. 3990/65): confirmatur interpretatio gallica Proprietii Missarum dioeceseos.

23. **Versaliensis** (24 nov. 1965, Prot. n. 3989/65): confirmatur interpretatio gallica Proprietatis dioeceseos.

Germania

- I. **Documenta:** 10 dec. 1965 (Prot. n. 4145/65).
- IV. **Interpretationes populares adhibendae:**
2. **RITUALIA:** Textus ritus Confirmationis a Coetu Episcoporum propositus.
- V. **Decreta particularia:**
4. **Misnensis** (27 nov. 1965, Prot. n. 4066/65): confirmatur interpretatio sorbica Supplementi Missalis Romani ad Proprium de Sanctis.

Graecia

- V. **Decreta particularia:**
1. **Naxiensis-Tinensis** (22 nov. 1965, Prot. n. 3961/65): confirmatur interpretatio hellenica ritus Matrimonii pro hac dioecesi iam approbati.

Hibernia

- I. **Documenta:** 27 nov. 1965 (Prot. n. 4069/65); 6 dec. 1965 (Prot. n. 4140/65).
- IV. **Interpretationes populares adhibendae:**
- Lingua anglica:**
1. **MISSALIA:** *Daily Missal* (Gill), *St. Jerome Missal*, *The Small Missal*, *The Layman's Missal*, *Roman Missal*, *Small Roman Missal*, *Daily Missal* and *Liturgical Manual*, *St. John's Sunday Missal*, *Daily Missal* and *Manual*, *St. Andrew's Daily Missal*, *St. Andrew's Bible Missal*.
 Pro lectionibus: *New Testament* (KNOX).
2. **RITUALIA:**
The Ceremony of Consecration of Bishop Elect (ed. Catholic Truth Society of Ireland), pro examine electi in Consecratione Episcopali.

Hispania

I. Documenta: 15 dec. 1965 (Prot. n. 4183/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum; lectionarium pro feriis Quadragesimae et Hebdomadae sanctae et pro Commune Sanctorum; Proprium de Tempore a I dom. Adventus ad Vigiliam paschalem; Commune Sanctorum, a Commissione mixta pro regionibus linguae hispanicae parata.

2. RITALIA: parvum Rituale ab eadem Commissione paratum.

V. Decreta particularia:

10. Tarragonensis (3 dec. 1965, Prot. n. 4125/65): confirmatur interpretatio cathalaunica praefationum et parvi Ritualis, ab Episcopis huius Provinciae proposita.

Hollandia

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 3921/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

2. BREVIARIA: *Het Romeins Brevier Latijn-Nederlands* (Gottmer-Desclée 1965).

Italia

V. Decreta particularia:

19. Arianensis (22 nov. 1965, Prot. n. 3968/65): confirmatur interpretatio italica Missae de S. Ottone Frangipane, Conf.

20. Barenensis (23 nov. 1965, Prot. n. 4006/65): confirmatur interpretatio italica Missae de S. Nicolao.

21. Bobiensis (12 nov. 1965, Prot. n. 3974/65): confirmatur interpretatio italica Missae de S. Columbano, Patrono principali eiusdem dioeceseos.

22. Bononiensis (2 dec. 1965, Prot. n. 4113/65): confirmatur interpretatio italica Proprietatis Missarum archidioeceseos.

23. Brundusinae (9 decembris 1965, Prot. n. 4126/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
24. Mediolanensis (26 nov. 1965, Prot. n. 4003/65): confirmatur interpretatio italica formulae Absolutionis sacramentalis et ritus Benedictionis domorum.
25. Parmensis (2 dec. 1965, Prot. n. 4101/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
26. Segusiensis (24 nov. 1965, Prot. n. 4039/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
27. Syracusanae (24 nov. 1965, Prot. n. 4005/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
28. Tarvisinae (6 dec. 1965, Prot. n. 4121/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.

Jugoslavia

V. Decreta particularia:

5. Bosnae et Hercegovinae (3 nov. 1965, Prot. n. 3789/65): confirmatur interpretatio croatica Missae de S. Elia Propheta.

Lituania

I. Documenta: 3 dec. 1965 (Prot. n. 4087/65):

II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: lituana.

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: iuxta decretum typicum, insuper praefatio.
2. IN SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS: iuxta decretum typicum.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.
2. RITUALIA: parvum Rituale ab eodem Coetu Episc. propositum.

Lusitania

I. Documenta: 24 nov. 1965 (Prot. n. 3976/65).

1. MISSALIA: *Missal Romano latíno-portugués para domingos e festas*, a Coetu Episcoporum propositum.

Scotia

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 4038/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

Lingua anglica:

1. MISSALIA: pro partibus Ordinarii et Proprii: *St. John's Missal* (ed. Goodliffe, Neale); pro praefationibus, versiones quae in praedicto et in aliis missalibus iam approbatis inveniuntur; in proferendis lectionibus, *Revised Standard Version* (ed. Nelson), et *The grail Psalms* (ed. Collins).
2. RITUALIA: Textus formulae Absolutionis sacramentalis et ritus Matrimonii intra Missam a Coetu Episcoporum propositi.

ASIA

Birmania

V. Decreta particularia:

2. Mytkyinaensis (10 dec. 1965, Prot. n. 4164/65): confirmatur interpretatio kachin ritus Confirmationis.

India

I. Documenta: 6 dec. 1965 (Prot. n. 4139/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

In celebrationibus liturgicis adhiberi potest *Prayer Book* et *Hymnal* pro Congressu eucharistico iam approbata.

2. RITUALIA: *The small Ritual*, ab Archiepiscopo Birminghamensi editum; versiones ritus Paenitentiae quae in ritualibus iam legitime approbatis exstant.

V. Decreta particularia:

9. Angrensis (6 dec. 1965, Prot. n. 4147/65): confirmatur interpretatio hindi cantuum Ordinarii Missae, versibus exaratorum.
10. Haflongensis: (6 dec. 1965, Prot. n. 4007/65): confirmatur interpretatio lingua lushai lectionum Missae quae in libris: *Pathianai Atana Lehkha Thawnte leh Chanchin Thate, Chanchin Tha Matthaiā Ziak* inveniuntur, et Ordinarii Missae quod in libro *Tawungtaina Bu* exstat.
11. Ranchiensis (die 25 nov. 1965, Prot. n. 4031/65): confirmatur interpretatio lingua mundari parvi Ritualis, et lingua hindi hymni *Tantum ergo* et formulae Benedicendi fideles extra Missam.

Philippinae Insulae

- I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 4030/65); 4 dec. 1965 (Prot. n. 4130/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:**1. MISSALIA:****a) Lingua bikol**

Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

b) Lingua ilokano:

Textus orationum pro diebus dominicis et festis a dom. I Adventus ad dom. I post Pascha.

Taiwan, Hongkong et Macao**V. Decreta particularia:**

1. Kaohsiungensis (6 dec. 1965, Prot. n. 4153/65): confirmatur interpretatio taiwan Ordinarii Missae.

Sacra Congregatio Rituum

DE ORDINANDA MISSA
QUAE CELEBRATUR VESPERE SABBATI AUT PRIDIE
FESTORUM AD SATISFACIENDUM PRAECEPTO

In Notitiae (1 [1965] 307, n. 87), ad dubium «quaenam Missa dicenda est ubi de indulto Apostolicae Sedis, praeceptio Missae festivae satisfieri potest Missa quae celebratur vespere diei praecedentis», responsum est: «Praestat ut dicatur Missa de dominica vel festo, cum homilia et oratione fidelium». Post illam responsionem, Sacra Rituum Congregatio opportunas normas statuit ac Em.mo Card. Petro Ciriaci, Sacrae Congregationis Concilii Praefecto, communicavit, litteris, quae sequuntur.

N.R. 50/965 Romae, die 25 Septembris 1965

Eminentissime Princeps,

Impetrata prius ab ista Sacra Congregatione Concilii facultate per-
mittendi fidelibus commissae sibi dioeceseos, ut praecepto Missae
audiendae satisfacere valeant vespere sabbati aut vespere pridie festo-
rum de praecepto, multi locorum Ordinarii ab hac Sacra Rituum Con-
gregatione postulaverunt ut in huiusmodi vespertinis Missis adhibeantur
textus liturgici proprii sive dominicae sive festi sequentis.

Attenta porro aequa Ordinariorum petitionis ratione, atque ea mente ut utraque Apostolicae Sedis concessio simplicior evadat, Sacra haec Congregatio Rituum rogat Eminentiam Tuam Reverendissimam ut, quotiescumque Sacra ista Concilii Congregatio locorum Ordinariis facultatem concederit permittendi christifidelibus creditae sibi dioeceseos satisfacere praecepto audienda Missae vespere sabbati aut vespere pridie festorum, velit in relativo Rescripto mentionem facere de *adhibendis*, talibus in casibus, de mandato Sacrae huius Congregationis, *textibus liturgicis* sive dominicae sive festi sequentis, atque de non omittendis homilia et oratione fidelium, ad mentem Instructio- nis S. R. C. diei 26 septembbris 1964, nn. 53-56.

Dum haec cum Eminentia Tua communico, Manus humillime tuas
deosculor meque summae venerationis sensibus laetus profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Domino
ARCADIUM Card. LARRAONA, Praef.
Ferdinandum Antonelli. *a secretis*

Celebrationes ad absolvendum Concilium

I.

SACRA CELEBRATIO AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM

Die 4 decembris 1965, apud sepulcrum beati Pauli Apostoli, in Basilica Ostiensi, Beatissimus Pater Paulus VI una cum Concilii Patribus et Observatoribus ac Hospitibus delegatis, sacram verbi Dei celebrationem participavit ad unitatem Christianorum impetrandam atque fovendam.

Significatio huius conventus in unione orationum omnium qui christiano nomine decorantur, neminem latet. Propterea illius schema referimus, cum exemplar esse possit pro casibus similibus.¹

1. Cantus ad Ingressum

Omnes surgunt.

Psalmus 26, « Dominus illuminatio mea et salus mea »²

2. Oratio introductoria

Oremus Deum Patrem omnipotentem ut peccata nostra non respiens verumque paenitentiae zelum innovans in nobis Spiritum Sanctum Paraclitum benigne infundat in cordibus nostris, qui nobis gaudia largiatur aeterna.

Omnes in silentio orant.

Oratio: Adesto, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus: ut iis, qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaurare, et restaurata conserves. Per Christum Dominum nostrum.

Omnes: Amen.

¹ *Sacra Celebratio ad Christianorum unitatem fovendam.* Typis Polyglottis Vaticanicis 1965.

² *A schola cantatus, omnibus ad unumquemque versiculum respondentibus, primis verbis psalmi.*

3. Lectiones

Omnis sedent. Lector³ primam lectionem legit.

1 Paralipomenon, 29, 10-18

(Post lectionem) *Surgunt omnes et canticum sequens⁴ cantant:*

Now Thank we all our God
 With heart and hands and voices;
 Who wondr'ous things hath done,
 In Whom His world rejoices;
 Who from our mothers' arms,
 Hath blessed us on our way
 With count-less gifts of love
 And still is ours to day.

O may this bounteous God
 Through all our life be near us,
 With ever joyful hearts
 And blessed peace to cheer us;
 And keep us in His grace,
 And guide us when perplexed,
 And free us from all ills,
 In this world and the next.

All praise and thanks to God
 The Father now be given,
 The Son, and Him Who reigns
 With Them in highest Heaven:
 The One Eternal God
 Whom earth and heav'n adore;
 For thus it was, is now,
 And shall be evermore.

³ Rev. Adalbertus C. AUTLER, e Communitate Methodista Americana.

⁴ Johann CRÜGER, 1643.

Omnes sedent. Alius lector⁵ secundam lectionem legit.

Rom. 15, 1-6

(Post lectionem) *Omnes surgunt et cantant:*

Psalmus 122

Cantores: Alleluia, alleluia, alleluia.

Omnes repetunt: Alleluia, alleluia, alleluia.

- 1 Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis. *

Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum.

Omnes: Alleluia, alleluia, alleluia.

- 2 Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Omnes: Alleluia, alleluia, alleluia.

Tertius lector⁶ legit Evangelium.

Matt. 5, 1-12

Beatissimus Pater homiliam pronuntiat.

4. Litany⁷

Omnes surgunt.

One of the participants: My dear Brethren, let us pray to the God of our fathers, that he may be pleased to preserve the wonders of his power and his mercy in his Church.

- 1 For peace from on high and for the salvation of our souls, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

- 2 That his holy Church may be preserved from every evil and be made perfect in his love, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

⁵ Lingua gallica proclamata a P. Petro MICHALON, Sulp.

⁶ Archimandrita MAXIMOS.

⁷ A. Can. Ioanne MOAN (e Communitate « Veteres-Catholici », Hollandia) et Mons. Francisco DAVIS (Anglia) recitata.

- 3 That the pastors of every christian communion may be faithful servants of the gospel of Christ, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

- 4 For all who are gathered here, for those from all over the world who pray with us that we may devote ourselves to the works of peace, of love and of justice, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

- 5 For all who bear the name of Christ, that the word of the Lord may be fulfilled and their unity may be perfect, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

- 6 For all Christians suffering trials and afflictions, for all who have need of the mercy and assistance of God, and for all who are seeking the light of Christ, let us pray to the Lord.

Response: Kyrie eleison.

Prayer: May our prayer rise to your glorious throne, O Lord, and may our request not return to us unheeded. Unite our lips and our hearts in praise and repentance, so that one day, in the fullness of the communion of your Church we may advance together towards your kingdom, which has no end. Through Christ Our Lord.

All: Amen.

5. Oratio dominicalis

Beatissimus Pater: Oratione ipsius Salvatoris edocti atque moniti, Patrem omnipotentem suppliciter exoremus.

Omnis dicunt, propria lingua, Pater noster.

6. Invocatio finalis

Beatissimus Pater:

Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei Patris et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Omnis: Amen.

Omnis canticum Magnificat canunt.

II.

ORDO AD ABSOLVENDUM CONCILIUM VATICANUM II

Sollemnis conclusio Concilii Oecumenici Vaticani II, celebrata est duobus successivis diebus, 7 et 8 decembris 1965. Inter praelatos actus illarum functionum, referre placet ritus et textus liturgicos ad Sacram Synodum explendam paratos, et deinde breve de illis commentariorum instituere.

Die 7 decembris 1965¹

Decretis a Summo Pontifice promulgatis, omnes surgunt et Pontifex dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur ut si quid offensionis in hac Concilii celebritate contraximus, illo miserante, indulgentiam sentiamus.

Cardinalis Protodiaconus cantat: Flectamus genua, et omnes, nudato capite, in suis locis, genua flectunt.

Post breve temporis spatium, unus Summus Pontifex surgit, sine mitra, dicit sequentem orationem tono feriali.

Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntati iudicis expedire, et ideo, quia imperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni, quaesumus, deputa misericors quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus. Te in nostris principiis occursum poposcimus, te quoque in hoc fine iudiciorum nostrorum nostris excessibus indultorem adesse speramus, scilicet ut ignorantiae parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris; et quia conscientiam remordentem tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem aut preeceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare, ob hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Concilii celebritate attraximus, te consonante, remissibile habeamus, ut in eo quod soluturi sumus aggregatum Concilium,

¹ Ritus desumitur ex opusculo Patribus Concilii distributo: *Ordo concelebrationis et methodus servanda in Publica Sessione Concilii Oecumenici Vaticani II. Die 7 decembris 1965. VI. Ordo ab absolvendum Concilium*, pp. 36-42. Typis Polyglottis Vaticanis 1965.

a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter et transgressores venia et confitentes Tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

Omnes respondent: Amen.

Summus Pontifex statim orationem dominicam inchoat: Pater noster, quam omnes cum illo recitant.

Pater noster, qui es in caelis,
Sanctificetur nomen tuum.
Adveniat regnum tuum.
Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum cotidianum da nobis hodie:
Et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in temptationem;
sed libera nos a malo. Amen.

Pontifex deinde hanc benedictionem cantat:
Christus Dei Filius, qui est initium et finis, complementum vobis
tribuat caritatis.

Omnes respondent: Amen.

Et qui vos ad expletionem huius fecit pervenire Concilii, absolutos
vos efficiat ab omni culpae contagione.

Omnes respondent: Amen.

Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum Spiritus Sancti, felici reditu vestras sedes repetatis illaes.

Omnes respondent: Amen.

Praecedente lumine divinitatis Domini nostri, qui omnia regit in
saecula saeculorum.

Omnes respondent: Amen.

Tunc Cardinalis Protodiaconus cantat: Levate et surgunt omnes.

Deinde Summus Pontifex cantat:

Pax Domini sit semper vobiscum.

Omnes respondent:

Et cum spiritu tuo.

Cardinalis Protodiaconus prosequitur:

Date vobis pacem.

*Et omnes Patres osculum pacis sibi invicem tradunt. Quo peracto,
Summus Pontifex orationem sequentem cantat:*

Oratio

Deus, qui nos pastores in populo vocare voluisti, praesta, quaesumus,
ut hoc quod humano ore dicimus, in tuis oculis esse valeamus. Per
Christum Dominum nostrum.

Omnes respondent: Amen.

*Summus Pontifex hymnum Te Deum laudamus inchoat, a schola
cantorum et ab universo coetu alternatim decantandum.*

Hymno finito, cantores cantant:

V. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Omnes respondent:

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Summus Pontifex orationem cantat:

Oremus

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus
est thesaurus: piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus,
tuam semper clementiam exorantes; ut, qui potentibus postulata con-
cedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum
Dominum nostrum.

Omnes respondent: Amen.

Auditor Rotae defert Crucem papalem ante Solium.

Summus Pontifex sollemnem Benedictionem impetratur.

Exc.mus Secretarius Generalis codicem S. Evangelii e throno tollet.

*Summus Pontifex, assumpta mitra et baculo, de sede descendit et
comitantibus E.mis Cardinalibus et celebrantibus, in sacellum SS.mae
Trinitatis redit.*

Die 8 decembris 1965²

Exc.mus Archiepiscopus Secretarius Generalis Concilii venit ad Solum; facta profunda reverentia, ascendit ad Summum Pontificem qui ei tradidit Decretum absolutionis ipsius Concilii. Exc.mus Secretarius, osculatus manum Pontificis, ascendit ambonem ac se vertens ad Pontificem, profundam reverentiam Ei facit et legit Decretum.

Summus Pontifex dicit brevem allocutionem. Quidam Em.mi Cardinales legunt peculiaria nuntia eiusdem Pontificis. Quibus lectis, Pontifex ea tradit illis qui variorum civium ordinum personas gerunt.

Qua re absoluta quinque Episcopi, omnes orbis partes terrae praesentantes, facta prius profunda reverentia Pontifici, ante altare consistunt et acclamaciones cantant, ad quas universus Coetus respondet.

¶. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

¶. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

¶. Exaudi, Christe.

¶. Exaudi, Christe.

1. Beatissimo Papae nostro Paulo, universalis Ecclesiae Pontifici venerando, benedictiones a Domino.

¶. Dominus eum feliciter conservet.

2. Beatissimi Papae Ioannis animae iugiter recolendae, pax a Domino in luce sanctorum et felicitas sempiterna.

¶. Memoria eius in benedictione.

¶. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

¶. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

¶. Exaudi, Christe.

¶. Exaudi, Christe.

3. Patribus nostrum Concilium moderantibus, anni plurimi plaususque multus a nobis.

¶. Dona retributionis a Domino.

² *Ordo et methodus servanda in concludendo Concilio Oecumenico Vaticano II. Die 8 decembris 1965. IV. Absolutio Concilii, pp. 37-50. Typis Polyglottis Vaticanis, 1965.*

4. Cardinalibus, Patriarchis, Episcopis huius sancti Concilii et Patribus universis, felicis ad greges redditus omnisque prosperitatis vota sincera.

R. Per aevum memoria doctoribus veritatis.

5. Concilii Patribus quos voluit ad se Dominus advocare, cum Angelis et Sanctis beatitudine perpes in caelis.

R. Vitam eis Dominus largiatur aeternam.

6. Episcopis fratribus nostris, quos aegrotatio vel persecutio Synodi nostrae fecit exsortes, gaudia Sancti Spiritus et fructus uberrimi meritorum.

R. Testibus fidei perseverans animi fortitudo.

X. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

R. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

X. Exaudi, Christe.

R. Exaudi, Christe.

7. Ecclesiis et communitatibus christianis, quae observatores ad nostrum coetum in fraternitate miserunt, fraterna pax et caritas in Spiritus unitate.

R. Gratiarum actiones lucisque vota iucunda.

8. Clarissimis viris qui res publicas moderantur, et omnibus qui ad commune bonum suis operantur officiis, laboris ardor in negotio pacis faustique successus.

R. Benedictio super eos a Domino dominorum.

9. Populis cunctis Deum verum et unicum in fidei firmitate colentibus et omnibus hominibus bona voluntatis, pax a Deo, rerum ubertas morumque civilium rectitudo.

R. Universis adoptionis filiis caritas et lumen a Patre.

X. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

R. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

X. Exaudi, Christe.

R. Exaudi, Christe.

10. Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum: eius fidem confiteamur, eius semper decreta servemus.

R. Semper confiteamur, semper servemus.

11. Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentes et amplectentes subscribimus. Haec est fides beati Petri et Apostolorum, haec est fides Patrum.

R. Ita credimus, ita sentimus.

12. His decretis firmiter inherentes, beatae simul Dei Genitricis semperque Virginis Mariae omniumque Sanctorum subveniente suffragio, misericordiis et gratia supremi sacerdotis Iesu Christi digni mereamur evadere, in Dei nostri gloriam honoremque perpetuum.

R. Fiat, fiat. Amen. Amen.

V. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

R. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

V. Ipsi soli imperium, laus et iubilatio, per infinita saeculorum.

R. Amen.

V. Tempora bona veniant.

R. Pax Christi veniat redemptis sanguine Christi.

V. Feliciter.

R. Feliciter, feliciter.

V. Regnum Christi veniat.

R. Deo gratias. Amen.

Acclamationibus peractis, Auditor Rotae defert Crucem Papalem ante Solium, Summus Pontifex benedictionem forma sollemni impertitur.

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

V. Adiutorium nostrum, in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

V. Benedicat vos omnipotens Deus ☩ Pater et ☩ Filius et Spiritus ☩ Sanctus.

R. Amen.

et subiungit

In nomine Domini nostri Iesu Christi, ite in pace.

Omnis respondent:

Deo gratias.

Sic absolvitur conventus Concilii.

COMMENTARIUM

Ritus liturgici qui magnificentissimam conclusionem Concilii Oecumenici Vaticani II obsignarunt, etsi nobili simplicitate, profundam tamen habent significationem et cum tota traditione liturgica Conciliorum cohaerent. Fundamentalis enim structura horum rituum provenit ab aliquo *Ordine* saec. vi ex Hispania Visigotica, a MUNIER¹ edito: *Ordo de celebrando Concilio*, qui magnum influxum exercuit in efformatione variorum *Ordinum* pro celebrandis Conciliis provincialibus, nationalibus, vel generalibus, usque ad *Vaticanum II*. Ritus qui in illo continentur, parvis tantum mutationibus aliquando inductis, inveniuntur in primis *Pontificalibus* saec. ix (Ms. biblioth. Cap. Colonensis, cod. 138, fol. 40^r-43^r), in *Pontificali Romano-Germanico*, saec. x: *Ordo qualiter Concilium agatur generale*,² et in *Pontificali Romano* saec. XII,³ cuius textus ad litteram refertur a *Pontificali Romanae Curiae*,⁴ et in *Ordinarium Sanctae Romanae Ecclesiae*,⁵ saec. XIV, cura Card. Stefanesci, edito a MABILLON.

In hoc *Ordine* visigotico, haec inveniuntur ad absolvendum Concilium:

- 1) promulgatio Decretorum;
- 2) oratio paenitentialis, flexis genibus facta, ad reparandas of-

¹ *L'Ordo de celebrando concilio Wisigothique*, in *Revue des sciences religieuses*, 137 (1963) 250-271.

² C. VOGEL et R. ELZE, *Le Pontifical Romano-Germanique du dixième siècle, les textes*, t. I-II, Città del Vaticano, 1963, pp. 269-274.

³ M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain au Moyen-Âge*, 4 voll., Città del Vaticano, 1938-41. I. *Le Pontifical Romain du XIII^e siècle*, pp. 255-260.

⁴ M. ANDRIEU, *op. cit. II. Le Pontifical de la Curie Romaine du XIII^e siècle*, p. 479.

⁵ P.L. 78, 1237-1238.

- fensiones contra caritatem, in disputationibus conciliaribus forte commissas;
- 3) exhortatio ad orationem (*Orate*) et longum tempus orationis in silentio;
 - 4) oratio: *Nulla est, Domine*, ab uno ex Concilii Praesidibus dicta;
 - 5) *Pater noster*;
 - 6) Benedictio.

Acta Conciliorum, insuper, alium elementum peculiare in conklusione Conciliorum ostendunt, nempe: *Acclamations*, inde a Concilio Calcedonensi usque ad Concilium Tridentinum,⁶ in quo Acclamations a Card. de Lorrain dictae sunt (4 dec. 1563), postquam Patres Concilio finem imponendam confirmationemque a Papa petendam esse decreverunt.⁷

Ex istis elementis efformatus est *Ordo ad absolvendum Concilium Oecumenicum Vaticanum II*.

Ritus diei 7 decembris

Prima pars absolutionis Concilii Vaticani II, die 7 decembris 1965 peracta est post Sessionem Publicam, Actis a Summo Pontifice promulgatis. *Ordo enim hispanicus dicit: In die quo Concilium absolvendum est, canones qui in sancta Synodo constituti sunt, coram ecclesiam in publico relegantur. Quibus explicitis, respondeatur: Amen. Deinde ad locum redeentes ubi in Concilio resedebant canones ipsos subscripturi sunt.*⁸

Ordo actualis tres actus complectitur: 1) *Ritus paenitentiales* (Invitatorium, oratio in silentio, oratio collecta); 2) *osculum pacis* (Salutatio pacis, osculum pacis, oratio «post pacem»); 3) *Gratiarum actionem* (*Te Deum*, cum oratione).

1. *Ritus paenitentiales*. — a) Invitatorium: *Deum, Patrem Omnipotentem... Omnes Ordines a saec. VII ad XIV, tantum exhortationem*

⁶ Cfr. *Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de liturgie*, Acclamations, t. 1, 224.

⁷ MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, Firenze, 1759 ss., t. 33, 196-197.

⁸ MUNIER, *art. cit.*, n. 17.

habent: *Orate vel Oremus*, quae in praesenti ritu magis evoluta est per aliquam admonitionem, cuius textus e *Pontificali Romano-Germanico*⁹ desumptus est.

b) *Oratio in silentio*. *Ordo hispanicus* longam praecipiebat orationem in silentio: *Post hoc, dicente Archidiacono: Orate, omnes simul in terra pariter prostrabuntur, ubi diutissime orantibus, hanc unus ex maioribus orationem dicturus erit.*¹⁰

c) *Oratio collecta*. Post orationem in silentio, actus paenitentialis tres formulas complectitur: orationem: *Nulla est, Domine; Pater noster*, et benedictionem Patribus datam, quae hac ipsa dispositione in *Ordine hispanicus*, cuius etiam textus criticus adhibetur,¹¹ et in *Ordinarium Sanctae Romanae Ecclesiae*,¹² inveniuntur.

Pontificale Romanum-Germanicum duas habet orationes ad libitum, loco orationis: *Nulla est, Domine*, et in hoc unice, quoad ritus absolutionis Concilii, ab *Ordine hispanicus* differt.

2. *Osculum pacis*. Post orationem paenitentiale habetur osculum pacis quod sollempne efficitur per salutationem pacis Patribus a Summo Pontifice factam, per exhortationem ad sibi invicem pacem tradendam, per osculum pacis ac orationem post pacem. Quae oratio redacta est a S. Gregorio Magno et in fine XVII homiliae super evangelia inventur.¹³

3. *Gratiarum actio*. Hymnus *Te Deum*, quamvis ab *Ordine Concilii* non praevideatur, tamen nunc est traditionaliter hymnus gratiarum actionis, et proinde ut etiam in Concilio locum haberet decebat.

Ritus diei 8 decembris

1. *Absolutio Concilii*. Secunda pars caeremoniarum ad Concilium concludendum, die 8 decembris 1965, momentum peculiaris sollemnitatis accepit quando post lectum Decretum ipsius Concilii absolutionis, quinque Episcopi, omnes orbis partes repraesentates, ad universalita-

⁹ VOGEL, *op. cit.*, n. 22.

¹⁰ MUNIER, n. 21.

¹¹ MUNIER, n. 21.

¹² P.L. 78, 1237-1238.

¹³ Cfr. ASHWORTH, *The liturgical prayers of St. Gregory the Great*, in *Traditio*, XV (New York 1959) 118.

tem geographicam sacrae Synodi manifestandam, *Acclamations cantaverunt*, universo Episcoporum et fidelium coetu respondente.

2. *Dimissio*. Duobus elementis constat: Benedictione Summi Pontificis et formula dimissionis.

a) *Benedictio Summi Pontificis*. Non praevidetur ab *Ordine Concilii*, sed nostris diebus mos est ut quaevis adunatio vel actio sacra quae praesente Summo Pontifice celebratur, semper concludatur ipsius Pontificis Benedictione. Praeterea, Benedictio conclusiva actus paenitentialis data est solis Patribus; haec autem omnibus, corpore vel spiritu praesentibus, impertitur.

b) *Formula dimissionis*: « In nomine Domini ... ». Venit e *Pontificali Romano-Germanico*, et ab *Ordinariis Sanctae Romanae Ecclesiae*,¹⁴ quae illam Summo Pontifici dicendam committunt, dum e contra a diacono proferenda esset iuxta *Ordinem hispanicum*, cui rubrica finalis se refert.¹⁵

¹⁴ VOGEL, n. 27. P.L. 78, 1238.

¹⁵ MUNIER, n. 27.

Documentorum explanatio

Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».

I. DE LITURGIA VERBI

91. SI PRIMA PARS MISSAE AD ALTARE PERAGITUR, POTESTNE CELEBRANS SEMPER IN MEDIO ALTARIS MANERE SICUT PROVISUM EST PRO FINE MISSAE?

Convenit ut paulatim ecclesiae provideantur apta sede praesidentiali ut sacerdos « revera universae communitati praeesse videatur » (*Instructio*, n. 92), et loco pro decora proclamatione verbi Dei ditentur, ita ut Missae « singularum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant » (*Const.*, art. 50). Hae sunt enim exigentiae hodiernae et futurae instauracionis, quibus etiam edificia sacra aptari debent.

Ubi tamen ratio peculiaris *interim* suadeat ut sacerdos ad altare maneat, ipse se gerere debet modo in *Ritu servando*, nn. 25 et 34 descripto. Hodiernae rubricae totam primam partem Missae in medio altaris peragere non permittunt. Si autem etiam lectiones ex altari proferuntur (n. 47), possunt ab uno eodemque latu altaris versus populum proclamari. Ita *aliquomodo* distinctio habetur inter duas partes Missae.

92. UTRUM LICEAT UNI TANTUM LECTORI OMNES PARTES PROPRII LEGERE.

Dispositio ritus liturgiae verbi a *Ritu servando* et ab *Ordine Missae* ordinata, eo etiam tendit ut « in celebrationibus liturgicis quisque, sive minister, sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet » (*Const.*, art. 28). Cavendum proinde ne fere totum quod olim celebrans faciebat, nunc lector ipse agat et ad ipsum praecipue attentio dirigatur, qui saepe partes Proprii, lectiones, cantus inter ipsas occurrentes legit, et aliquando commentatoris et cantoris munus etiam explet. Gradatim providendum est ut celebrationes iuxta spiritum Constitutionis disponantur, ita ut unaquaeque earum pars proprium habeat idoneum mini-

strum: lectorem, psalmistam vel cantorem, commentatorem. Partes vero Proprii sunt cantus processionales quibus tota communitas aliquam actionem comitatur, et *de se* pertinent populo vel *scholae*. Praestat ergo ut habeatur saltem aliqua pars communitatis, aliqualis *chorus* plurium personarum, qui illas legat vel cantet. Ubi hoc adhuc possibile non sit, saltem provideatur ut qui illas legit, a lectore, seu ministrante, pro lectionibus et a commentatore distinguantur.

**93. UTRUM DIACONUS VEL ALIUS SACERDOS QUI EVANGELIUM LEGIT,
TANTUM SUPERPELLICEUM ET STOLAM AUT HABITUM CHORALEM, SI
EST RELIGIOSUS, INDUERE POSSIT.**

Praescriptio *Ritus servandi*, n. 44, non intendit ut quocumque modo alius sacerdos vel diaconus habeatur, qui tantum ad legendum vel cantandum Evangelium accedat statimque recedat. Mens praedicti documenti est ut diaconus vel, eo deficiente, alius sacerdos, ministerium suum celebranti praestet toto tempore actionis sacrae, quique proinde vestes liturgicas proprii ordinis induere tenetur, scilicet albam et stolam diaconalem, diaconus; albam et stolam, more sacerdotali, sacerdos.

**94. QUANDO MISSA PRO ALIU DEFUNCTO CELEBRATUR, POTESTNE
FIERI SERMO POST EVANGELIUM?**

Affirmative, dummodo omnis species elogii funebris vitetur et homilia « ex textu sacro » hauriatur (*Const.*, art. 52), praesentet « indolem paschalem mortis christianaem » (*Const.*, art. 81), et adstantium fidem et spem in paschale Christi mysterium dirigat.

II. CELEBRATIONES LITURGICAE PRO SURDIS

95. UTRUM LINGUA SIC DICTA « PER GESTUS » (*sign-language*) ADHIBERI POSSIT IN CELEBRATIONE LITURGIAE PRO SURDIS?

Affirmative. Nam est unica ratio qua surdi vere actuose participare possunt sacram liturgiam. De facto potentibus quibusdam Coetibus Episcoporum, Beatissimus Pater recenter (14 dec. 1965) benigne concessit ut lingua sic dicta « per gestus » in celebratione liturgiae pro surdis adhiberi valeat, quandocumque ratio pastoralis id suadeat, in

omnibus partibus quae lingua vernacula dicuntur. Celebratio ita ordinari potest:

1. Lectiones per signa congregationi significantur.
2. Quoad participationem in aliis partibus quae ad populum spectant:
 - a) quae a solo celebrante proferuntur, ipse eodem tempore verba profert et simul illa gestibus significat; populus autem gestibus respondeat;
 - b) in partibus vero quae una simul a celebrante et a populo sunt dicendae, v.g. *Gloria*, *Credo*, *Sanctus-Benedictus*, *Agnus Dei*, etc., fideles per gestus signa celebrantis sequuntur.

III. DE PARVIS MISSALIBUS

96. UTRUM PARVA MISSALIA PRO FIDELIBUS ADHUC SINT UTILIA?

Quidam asserunt post introductionem linguae vernaculae in liturgiam parva missalia amplius utilia non esse, quinimmo activae participationi obstare. Re quidem vera parva missalia ante promulgatam Constitutionem de sacra liturgia eo tendebant « ut fideles ritus lingua latina celebratos intellegerent; erant videlicet subsidia populi, veteris huius linguae ignari ».¹ Finis tamen praecipuus erat amor et gustus sacrae liturgiae eiusque progressiva ac profundior intelligentia in fideles inducenda. Quod etiam nunc valet. Parva missalia, quae iuxta exigentias hodiernae restorationis liturgicae sint exarata, quaeque non tantum Ordinarium Missae sed versionem omnium textuum liturgicorum a competenti auctoritate approbatam contineant, adhuc sunt necessaria ad totalitatem mysterii salutis, in anno liturgico celebrati, perfectius percipiendam, ad meditationem et pietatem ex inexhaustis divitiis textuum liturgicorum alendam, ad actuosam participationem faciliorem reddendam. Haec autem non tantum postulat ut verbum Dei in communitate adunata proclametur et ab ipsa attente audiatur, sed etiam ut plebs sancta verbo Dei accepto respondeat, et sacra celebret partes Ordinarii et Proprii, hymnos et psalmos simul canendo vel recitando. Quod peragere valet auxilio alicuius parvi missalis aut libri precum, qui eo

¹ Allocutio Summi Pontificis Pauli VI ad participantes « Conventum de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum »; *Notitiae*, 1 (1955) 379.

utilius evadit cum etiam elementa pro sacramentis aliisque sacris functionibus participandis contineat, sicut v. g. *The book of catholic worship*, qui ab « U.S.A. liturgical Conference » nunc paratur (cfr. *Notitiae*, 1 [1965] 318).

Peculiari ratione hoc adiutorio indigere videntur communitates cuiusque generis; quae missam ferialem participant, vel omnibus diebus secundum spiritum liturgiae vivere et orare cupiunt; qui ob infirmitatem vel incommodum vel alia huiusmodi cum propria communitate liturgica convenire nequeunt, ut eius orationi verius et intimius coniungantur; pueri qui ad mysterium liturgicum progressive sunt initiandi. Proinde laudandus et diffundendus usus qui pluribus in locis invaluit donandi pueris, ad Primam Communionem vel ad Confirmationem accendentibus, parvum missale: est omnium aptissimum donum.

97. IN HOC DISCRIMINE MUTATIONUM LITURGICARUM SUNTNE PARVA MISSALIA DIFFUNDENDA?

Notitia aliquando passim diffunditur circa imminentem reformatiōnem Ordinis Missae, vel definitivam instauratiōnem totius Missalis; quae serio fundamento caret. Instauratio liturgica pluribus indiget studiis et studiorum annis. Parva ergo missalia si criteriis hodiernae reformatiōnis innituntur et aliqua cum flexibilitate et varietate concipiuntur, adhiberi poterunt per plures annos. Perutilia insuper evadunt ut fideles spiritualiter et pedagogice ad futuram instauratiōnem accipiendo parentur et ne per aliquot, et quidem ferventiores, annos, priventur profectu spirituali qui ab actuosa et conscientia sacrae liturgiae participatione provenit.

Ea quae in *Notitiae* publici iuris fiunt, in periodicis liturgicis, vel dioecesanis, aut clero speciali modo destinatis, libere assumi possunt: Directio Commentarii hoc iam ab initio sibi proposuerat, neque urget ut peculiaris consensus singulis vicibus petatur.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae inducendae

Editio typica

In-16°, pp. 24, L. 250 (\$ 0,40)

Continet Missam Chrismatis feriae V in Cena Domini recognitam, idest cum novis pericopis, necnon cum textibus et melodiis simplicioribus, depromptis ex edendo Graduali simplici, *ad libitum* adhibendis, loco illarum quae adhuc in usu sunt.

Praebet rubricas ad simpliciorem formam redactas pro consecratione Oleorum et quosdam textus mutatos in orationibus sollemnibus feriae VI in Passione et Morte Domini.

Ritus servandus in Concelebratione Missae et Ritus Communionis sub utraque specie

Editio typica

In 16°, pp. 104, L. 900 (\$ 1,50)

In libello, affabre excuso, habentur Ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » parati, et a Sacra Rituum Congregatione promulgati. Additur Canon Missae ad usum concelebrantium, et melodiae textuum, qui cani permittuntur.

De oratione communi seu fidelium

In-8°, pp. 32, L. 300 (\$ 0,50)

In fasciculo, parato a « Consilio », orationis communis natura, momentum ac structura describuntur. Indicantur criteria ad eam parandam, et praebentur specimenia, super quibus Commissiones liturgicae nationales confidere possunt schemata pro sua dicione.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Missa pro Iubilaeo extraordinario

Editio typica

Fasciculus in 4°, cum latiore margine, ut omnibus Missalibus aptari possit. Pp. 24 - L. 400 (\$ 0,70).

Extraordinarium Iubilaeum, quod Beatissimus Pater Paulus Pp. VI, Concilii Vaticani II veluti coronam, die 7 decembris 1965 indixit ac promulgavit, in singulis catholici Orbis dioecesibus celebrandum, ita ordinatum est ut « suam sedem ac veluti domum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur » (Const. Apost. *Mirificus eventus*). Opportunum proinde visum est, ut etiam per liturgicos textus, in praecipuis huius sacri Iubilaei celebrationibus eucharisticis adhibendos, eadem praeclara notio Pastoris et Ecclesiae pressius exprimatur et extollatur.

Fasciculus continet Missam peculiarem *extra tempus paschale* adhibendam, et idem schema cum nonnullis variationibus pro *tempore paschali*; insuper orationem fidelium, melodiam novae praefationis, cantus simpliciores, et indicationem melodiarum e Graduali Romano depromptarum.

Decretum, quo Sacra Rituum Congregatio Missam promulgat, clare statuit quibus in adjunctis haec Missa adhiberi valeat.
